





21

*Pr. E. 38. 69*  
Pub. 8. num. 8.

A. Q.

DISSERTATIO JURIDICA

*De*

# ORIGINE JURIS SUFFRAGIORUM

*Quam*  
**P R A E S I D E**

V I R O

*MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO*  
*atq. CONSULTISSIMO*

DOMINO

GABRIELE SCHWEDERO,  
**U. J. D.**

Sacr. Cæsar. Palatii Comite,

Serenissimi Ducis Würtemberg. Consiliario, atque Primario ex  
J Ctorum ordine in Supremo appellationum Tribunal  
Affessore, Juris Publ. ac Feudalis Professore  
Domino aique Praeceptore suo omni, quæ par est veneratione  
*atatem colendo*

indultu facultatis Juridicæ eruditorum  
disquisitioni submittit


Aut. & Resp.

B. HORNIG, Hirschberga - Silesius.

D. Mens. Augst. MDCCXXIV.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

T U B I N G E  
Typis Jo. Cunradi Reiæ Vidua.





Q. D. B. V.

§. I.

**R**em exactè cognoscere gestienti, primum respicere originem & Principium cùm rei, tūm temporis, quò esse coepit, incumbit; Tempus est considerandum, ex cuius quippe genio multa sunt discenda & colligenda; Res omnis suum veneratur ortum, hinc fundamenta, ex quibus totius rei constitutio derivatur, scire præstat; Hisvero neglectis nulla solida rerum datur cognitio. Reætissime ergo à Poëta felix prædicatur ille, qui potuit rerum cognoscere causas. Cum itaque mihi quadam exercitii gratia conanti, jura suffragiorum indagare, in mentem venerit, paucis hisce paginis titulum; de Origine Juris Suffragiorum, inscribere placuit. Celeberrima, quæ hac dē re prostant scripta, undeque hæc addiscere licuit, sunt præcipue: Dissertatio Cocceji, de eo, quod justum circa numerum suffragiorum; Reisfeldenii sub Feltzio de Suffragiis Statuum in Comitiis Imperii

A 2

uni-

universalibus; huc etiam facit Jer. Eberhard. Linckii Differatio de fundamento voti Comitialis. De jure suffragii usu intermisso non pereunte scripsit Dissert. Henr. Gribnerus. Item extat Michael. Loeffenii Begrieff etlicher durch die Protestirende auff dem Reichs Tage 1613. übergebener Fälle / in welchem sie nicht gestatten können / daß die majora vota den Vorzug haben sollen; Wolfgang. Paul. Burgermeisteri Dissertat. de Casibus à jure majoris partis in Comitatu S. Romano-Germanici Imperii exceptis, in Instr. Pac. Westphal. Art. V. §. 52. firmatis; Nec non Sacra libertatis Anchora, sive Analytis §. in causis religionis. 52. art. V. Pac. Westph. ubi agitur de pluralitate votorum, in quibus causis non sit attendenda, speciatim de jure eundi in partes, nec non de jure singulorum, quæ exhibetur in der Europäischen Staats-Canzley Part. XXXVIII. c. X. lit. N. p. 314. seqq. & in Electis Jur. Publ. Tom. XIV. p. 453. seqq. Ex hisce enim & multis aliis ad jus publicum spectantibus scriptis solidiora utique hauriri possunt, quam hic paucis proferuntur.

## §. II.

Originem suffragiorum, eorumque juris principium perpendere dum placet, primum derivatio nominis à suffragando notanda occurrit; deinde varia ejus sunt Synonyma; audit enim 1. Voluntas. Ulpian. in l. f. §. fin. ff. de Pætis his utitur verbis: Si vero dissentiant, tunc Prætoris partes necessariæ sunt, qui decreto suo sequetur majoris partis voluntatem. 2. Consilium sive concilium. Curt. Lib. IV. c. 11. scribit: Alexander legatis excedere tabernaculo jussis, quid placeret ad consilium refert. Et End. Lib. c. 13. idem de Alexandro hæc refert: igitur sive dubius animi, sive ut suos experiretur, consilium adhibet, quid optimum factu esset, exquirens. Jul. Cæsar. Lib. VI. de Gallis rescribet: de re publica nisi per concilium loqui non conceditur. 3.

Con-

**Consulta Patrum.** Sic enim canit Prudentius:

Si consulta Patrum subsistere conscriptorum,  
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si  
Ter centum sensisse senes legerentur in unum.

4. Benivolentia. Cic. de Amicit. Cap. XVII. Nec mediocre, ait, telum ad res gerendas existimare oportet, benivolentiam civium, quam blanditiis & astentando colligere, turpe est. 5. Placitum vel Probatum. Plin. lib. 6. ep. 13. Singularis re integrâ dissentire fas est, peractâ, quod pluribus placuissest tenendum. Aristot. 4. Polit. 8. Hoc enim quod pluribus probatum in omnibus reprehenditur. 6. Consensus vel assensus ut apparet ex l. 17. §. 7. ff. de Rec. Arbitr. Propert. lib. 4. & 12. Liv. L. I. 32. 7. Sententia. Sen. l. 7. ep. 17. Numerandæ, inquit, sententiae non ponderandæ. l. 39. ff. de Re Jud. 8. Arbitrium. l. 17. §. 6. ff. de Rec. arbitr. 9. Judicium. Cælius apud Cic. l. 8. ep. 8. 10. Beneficium voti & fessiōnis, in Rec. Imp. 1654. §. über Dis 197. ut & deliberatio, Consultatio ubique invenitur.

Posthac aliae etiam super sunt denominations, ut 1. Votum Sen. L. 3. controv. 2. Filius à patre parricidii condemnatus paribus votis absolutus; & Poëta:

Mille hominum species & rerum discolor usus,  
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

2. Vox. Prudent. L. II. contra Symmachum:

Servemus leges patrias, infirma minoris  
Vox cedat numeri, parvaque in parte filescat.

Vid. Ayr. Bull. c. 7. 3. Romani Græcos imitantes primum suffragia cerebant voce, postea tabulis & tandem lapillis & calculis nigris & albis, item cretâ & carbone usi sunt l. 4. C. de autorit. Praef. Plura hac de re tradit illustris Coccejus in laudata jam dissertat. Seet. II. §. 2. seqq. Germanicè dicitur: Eine Meinung / Gurdüncken. Rec. Imp. de Anno 1530. It. eine Stimm auff dem Reichs-Tage una cum vocabulo præposito:

**S**i h; quia in pleno consensu suffragia colliguntur & postea per dictaturam communicantur.

### §. III.

Præmissis itaque quæ circa nomen fuerunt monenda, nunc etiam ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, rem definiendo aggredi necesse est. Prius audiamus, quid sit suffragium & posthac, quid jus suffragiorum. Suffragium est sententia Ordinum sive membrorum Reipubl. super rebus salutem societatis concernentibus declarata; Jus vero suffragiorum est facultas competens ordinibus vel membris Reipubl. sententiam in Comitiis super rebus ad salutem Rei totius spectantibus dicendi. Genus hujus definitionis est facultas, membro aut Statui societatis competens, sub qua continetur & libertas & dominium rerum juxta ac personarum. Grot. Lib. I. cap. I. S. V. de Jur. Bell. & Pac. Qui enim membrum Reipubl. esse cupit, eum libertate præditum & Dominio pleno vel minus pleno instructum esse oportet; si quidem rei universæ multum inter est: Certum esse de fide sociorum, & de oneribus publicis ferendis, quorum patrimonium pignoris loco habetur. Mafilienses olim neminem ad Magistratus admisisse, nisi qui liberos haberet, ut his quasi pignoribus, major eorum fides & amor in Rempubl. adstringeretur, refert Giphon. ex Strabone ad Aristot. s. Polit. 9. in pr. Differentia specifica consistit in dicenda super rebus ad salutem totius Rei spectantibus sententia. Hæc rationibus pondus habentibus reique propositæ convenientibus constet, ex rerum circumstantiis rite expensis sit collecta, atque utilitatem societatis & conservationem intendat. Vid. Rec. Imp. de Anno 1654. §. mehrermeltes unsers. 157.

### §. IV.

Divisionem quod concernit, jus suffragiorum est vel dependens

dens vel independens; hoc est, quod vi illius libertatis naturalis quibuslibet patribus fam. societatem motu spontaneo ineuntibus competit, vel quod membrum societatis ex liberteate naturali habet; illud est, quod per pacta atque transactiones, aliisque modis sibi præ aliis Regni aut societatis cives & Proceres acquirere solent, quod seculis nostris in Imperio Rom. Germanico consuetum experimur. Contrarium equidem Jac. Lampadius de Republ. Rom. Germ. Part. III. §. VIII. contra Paurmeister. Lib. I. de Jurisd. 3. 6. & 8. nec non Schraderum de Feud. Part. IV. C. I. assertit, falsò exinde concludens: Principes in suis ditionibus esse tantum Magistratus; ast verò ex proprio Lampadii principio: potestatem suffragiorum scilicet territorio innexam esse, refutat illud assertum Conring. in annotatis ad hunc ipsum §. Videri etiam potest Grot. L. I. C. III. §. 23. n. 3. de Jur. Bell. & Pac. & Becmannus in not. ad hunc §. n. II. Deinde hoc jus est vel illimitatum vel restrictum. Hoc sub se comprehendit tantum certas causas, in quibus sententiae dicendæ requiruntur, & ubi secundum modum præscriptum solet pronunciari ac potius consilium dicendum; illud vero se extendit ad omnes res, super quibus deliberationes solent institui, & ubi etiam de actis Principis cognoscitur. Grot. L. I. C. III. §. 10. n. 4. Sic recenset Conrig. in Exercit. de Germ. Imp. Civibus Thes. XXXI. apud Germanos duo conciliorum genera fuisse, alterum commune totius populi: alterum particulare: de rebus quidem minoribus semper, interdum & majoribus, sed non nisi προσθντια τεκνα quorundam ex Principum aut Primorum ordine delectorum; utrumque quotannis celebratum. Et maiore quidem illo negotio regni constituta sunt in integrum annum; minore res maximæ in futuro generali conventu constituentur sunt prætraactatae.

Notandum insuper venit ratione suffragiorum, quorum divisionem & hic addere lubet, alia esse consultativa; alia decisiiva:

siva; alia virilia , alia curiata , Suffragia consultativa sunt , quæ nullam concludendi necessitatem inferunt , sed loco consilii habentur : Decisiva vero his opponuntur & necessariò facultate firmiter concludendi prædicta sunt ; qualia hodie Statuum Imp. Rom. Germ. vota deprehendimus : Virilia vota dicuntur , quæ pro territoriorum qualitate personā metimur , sic , ut quot capita illa ferunt , tot inde vota particularia exurgant , qualia territoria sunt , Electoratus , Ducatus , atque Principatus : Curiata è multis sunt conflata , sive à scamnis vel curiis à quorum numero vota quoque numerantur , & in quibus sedem habent illi , qui talia vota ferunt , ut Comites & Barones Suevici , Wetteraviæ , Franconici atque Westphalici ; Prælati non principes , ut Suevici , & Rhenani qui alternant ; atque Civitates immediatæ , secundum tradita Joh. Francisci Reiffersenii *in dissert. de suffragio statuum.* §. 2.

### §. V.

Et hæc de definitione & divisione sufficient , institutum jam est suscipiendum . Sedem juris suffragiorum investigare dum animus est , ductum rationis ad prima societatum , civitatum , Rerumpubl. & regnorum fundamenta sequi oportet . Maximus ille omnium rerum hominumque Conditor res creatas hominesque multiplicari , mutuoque sibi invicem auxilio adesse voluit ; hunc in finem marem & fœminam conjunxit ; ex hac arctissima vita mutuo pacto nixa societas altera conjunctio parentum scilicet & liberorum , & dein familia orta est , è multis vero unitis familias Respublica enascitur . Hanc in rem eleganter Tullius locutus est *L. I. offic.* Nam cum , ait , hoc sit natura commune animantium , ut habeant libidinem procreandi , prima societas in conjugio est ; proxima in liberis ; deinde una domus , communia omnia . Id autem est principium urbis , & quasi seminarium Reipublicæ . Sequuntur fratribus

trum conjunctiones: post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinquui. Quæ propagatio & siboles origo est rerum publicarum.

### §. VI.

Quemadmodum autem nexus naturalis ex mutuo consensu & libera hominum descendens inclinatione sic copulavit mortales, ut unus ab omnibus finis, salus scilicet & tranquillitas intenderetur; ita eodem quoque unanimique instinctu, necessitate suadente, communia ad hunc finem consequendum media fuerunt constituta. Non enim membra in unum quasi corpus vel propter gentis, nationis, linguæve commercium, quo homines maximè conjunguntur, *Genes. II. v. 1. seqq.* vel propter id, quod Tullio interius dicitur, ejusdem esse civitatis, vel propter indigentiam auxilii alieni in vita humana cultiori facilius obtinendi, vel propter securitatem majorem adversus hostes ingruentes; vel tandem propter commoditatem & juris tranquillam fruitionem, coaluisse sufficiebat, sed hanc insignis multitudinis combinationem etiam conservare omnium maximè erat necessarium. Propterea rectè Cicero adfert: Multa fuerunt civitatibus inter se communia: Forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines, multisque cum multis res rationesque contractæ. Ex quibus utique collendum, jus suffragiorum, cui cætera suos debent natales, cilibet societatis membro aut ordini ex prima illa naturali libertate ac spontanea conventione esse quæsitus.

### §. VII.

Negari enim haud potest, quod cum ante constitutas ci-vitates paterna obtinerent imperia, cuiuslibet patrisfamilias  
B fuerit,

fuerit, curam familiæ sibi subjectæ gerere; mutato vero statu, Rebusque publicis formatis, in commune ut consuleretur, necesse erat. Consiliis etenim status universi aut stant aut cadunt. Hinc Salustius ad Cæarem scribit: Ego ita omnia comperi regna, civitates, nationes usque èo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt, ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus imposita est. Duplex autem datur genus summum, quod in societate obtinet, constituendi imperium, alterum voluntarium, quod ex consensu libero populorum; alterum involuntarium, quod ex occupatione bellica profluit. Illud varias regiminis formas introduxit; vel ut sit summa potestas penes unum, quæ monarchia dicitur; vel ut sit penes concilium è civibus bonis electis constans, quæ Aristocracia audit; vel ut sit penes concilium ex universis Patribus familiis collectum & Democratia appellatur; vel ut sit penes senatum & Populum simul, aut penes Proceres & Regem simul, quæ res publica mixta vocatur; & ex his unam sibi eligere formam liberum fuit; hoc spirat solum imperium monarchicum, si unus solus summam teneat potestatem. Et licet pro diversitate status varient comitia, varient suffragandi libertates, nullus tamen datur status nec unquam viguit Respublica, in qua non comitia celebrata & suffragia collecta fuissent.

### §. VIII.

Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges fuisset commemorat Justinus; Nimrodum primum regni initium Babylonem statuisse antiquissimus initiorum scriptor docet Moses; urbem Romanam à principio reges habuisse, Florus, alii alios referunt; ast hos non adeo absolute gavisos fuisse regnandi potestate certum est. Priscos enim quod attinet reges,

reges, quorum arbitrio populi regebantur, hi non ambitione populari, sed spectata inter bonos moderatione ad fastigium hujus maiestatis provehebantur, neque hi reges sibi imperium, sed populis suis gloriam quærebant, contentique, cum gerent bella, victoriâ imperio abstinebant. Veteri Germaniæ Reges erant, quos Tacitus præfuisse ait, auctoritate suadendi magis, quam potestate jubendi. Nynus Rex Assyriorum omnium primus veterem & quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutasse dicitur. Apud Atrianum Calisthenes ait; ἡ βίᾳ αὐτὰ τοιαὶ μακεδόνων ἀρχότες διελέγονται. Non vi sed lege in Macedones imperium obtinebant. Macedones adfueti regio imperio, sed in majore libertatis umbra, quam cæteræ gentes. Nam & judicia de civium capite non erant penes regem. De Capitalibus rebus vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus; in pace erat vulgi; nihil potestas regum valebat, nisi prius valueret auctoritas. *Curius.* Semiramis cum nec immaturo tradere imperium, nec ipsa palam tractare auderet, hac mota causa, quia tot tantæque gentes vix patienter uni viro nedum fœminæ parituræ essent. *Justinus.* Romanorum regibus superbè dominantibus expulsio destinabatur; nimirum Consulū potestati Tribunitia potestas objiciebatur, & paucos in orbe Christiano esse reges ac Principes, quorum potestatem non aliquo modo comprimat & circumcidat inita cum ordinibus pæctio, tradit Magnificus Dn. Schwederus, mihi semper omni obsequii & honoris cultu devenerandus. *Introduct. in J. P. Part. Gener. C. II. §. 9.*

## §. IX.

Evidem haud diffitendum, quod ticut Aristoteles dixit, quosdam homines naturâ esse servos, id est, ad servitutem aptos; ita & dentur populi, quibus melius consulitur, si reguntur, quam si ipsi regant. Quod de se Capadoces sensisse videtur,

B 2

dentur,

dentur, qui oblatæ à Romanis libertati vitam sub rege prætulerunt; negantes vivere se sine rege posse. *Strabo XII.* Ast enim vero in omnibus Rebus publicis ejusmodi servituti obnoxia deprehendi ingenia, vix affirmandum. Paucissimæ gentes jugum tyrannicæ potestatis subeunt ægrè, semper naturalis libertatis memores, pectorumque invicem celebratorum, præcipue ubi regni cujusdam emicat Procerum splendor; addo, cum etiam haud è re sit societatis, omnia pro voluntate & lubidine unius vel quorundam agi; siquidem moderata sit penes quemcunque summa potestas, requiritur. Quem admodum arcus nimium intentus rumpit, sic etiam summa Potestas, cum nimium attrahitur, durabilis non est, uti contra arcus inutilis est, si laxatur, & nimium remittitur; ita & arcus summi imperii parum proficius erit, si nimium remittatur. Medio enim tutissimus ibis, verum est tritum illud proverbium, nec facile concordia, quæ parvæ res crescunt, & salus publica tanquam firmissimo nititur fulcro, exterminatur, ubi regimini justum moderaten adhibetur. Id quod pluribus demonstrat Conting. de ratione statutus Concl. XLIX.

### §. X.

Optimum vero est moderamen libera suffragandi potestas super rebus ad salutem totius Rei spectantibus & super eligendis societatum Antistibus; id quod apud Assyrios & Persas obtinuisse tradit *Justinus*; apud Macedones *Curtius L. io. c. 6.* apud Athenienses *Herodotus. L. 6. c. 6.* & *Corn. Nep. apud Lacedæmonios Thucydides Bell. Pelop. Lib. I.* apud Romanos & Germanos *Tacit. c. 11. de morib. Germ. & Jul. Cæsar c. 1. de bello Gall.* Cicero in oratione pro Cornelio Balbo quatuor LL. Tabellarias, Gabinianam in creandis magistribus; Cassiam in judiciis, Plin. *Lib. 3. ep. 20.* Papyriam in ferendis legibus; & denique Læliam in perduellione (quippe quam Cassia exceperat) quæ fuerunt constitutæ, vi quarum non voce ut antea, sed magno

magno cum silentio dabant suffragia, vocat principium justissimæ libertatis & tabellas has: Vindices tacitæ libertatis *in oratione agragria II. & lib. de LL.* Hæc vota etiam semper libera esse debent; testante Alexandro ab Alexandre *Lib. 4. Dier. Gen. c. 11.* Nequa invidia oriretur, & quo magis libero animo vota impertirent, cautum fuit, ut non voce sed punctis suffragarentur. Jacobus Zevecotius *in observat. Polit. ad C. Suetonii Tranquilli, Jul. Cæsar. cap. 14.* dicit: In omni Collegio summa sit eportet suffragiorum libertas, insuper allegans locum ex Salust. ut animus in consulendo liber sit, neque delicto, neque libidini obnoxius, nec servilis alicujus sententia quispiam autor esse cogatur. Idem *cap. 19.* qui enim, ait, volentibus imperat, atque adeo legitimus est Princeps, non subditorum discordiis, sed unanimi potius studio & consensu se suaque defendit. Galgacus Britannorum Dux apud Tacitum viætorias Romanorum & invictam felicitatem discordibus suorum studiis adscribit; nec aliud adversus validissimas gentes pro Romanis utilius fuisse, quam quod in commune non consuluerint, probat Tacitus *hist. Lib. 5.*

## §. XI.

Ad alium nunc progrediamur jus suffragiorum acquirendi modum, qui consistit in multorum bonorum possessione. Vix dubicandum est, quin ad jus illud stabiliendum, introductis rerum dominiis, multum attulerint ponderis amplæ facultates, splendida patrimonia, multarum rerum bonorumque firma & propria possessio ac dominium. Dum enim omni generi animantium est à natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcunque ad vivendum sint necessaria, anquirat & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis atque per consequens cuilibet liberum est, res vacuas occupare, suo pleno subjecere dominio, liberèque administrare multi hoc ditescendi generæ pelleati mirum in modum ingentes divitiarum thesauros colle-

B 3

gerunt.

gerunt. Quo facto ut societatibus, Rebusque Publicis maxima fuerunt addita incrementa: ita quoque hic divitiarum cumulus & splendor adauxit civium auctoritatem & potentiam, ut & iis, quibus summum delatum aut bellico ausu acquisitum est imperium hos consilio regiminis adhibere consultum visum fuerit, & his præ aliis jus sententiam dicendi publicis in deliberationibus competere dicefudum sit.

## §. XII.

Hoc quidem facile est concedendum, quod tota societas fundamentum in re habeat, sed non omnes æqualiter participant; quia & facultatum possessorum & harum intuitu onerum ferendorum ratio est habenda; sic qui mille possidet, plus contribuit saluti publicæ promovendæ, quam qui centum. Quare Grotius jure meritoque asserit; quod nulla Res publica reperiatur adeo popularis, in qua non aliqui aut valde inopes aut externi, tum vero & fœminæ & adolescentes à deliberationibus publicis arceantur; siquidem non tantum naturali æquitati, sed & legibus romanis est probatum; sententias esse proportione, id est, mensoria, æstimandas. l. 8. ff. de Pac̄t. l. 14. ff. depositi. l. 16. ff. de reb. auct. Jud. possid. v. vend. Huc etiam spectant exempla quæ narrat Strabo Lib. XIII. & XIV. Cum Lybica & tres vicinæ urbes in unum quasi corpus coissent, convenisse, ut aliarum singula essent suffragia, Lybicæ bina, eò quod in commune hæc multo plus cæteris conferret. Et in Lycia viginti & tres, ait, fuisse urbes, quarum aliæ terna, aliæ bina, aliæ singula ferrent suffragia, & ad eundem modum onera tolerarent.

## §. XIII.

Nec obstat summo sub imperio civitatis aut societatis omnes eodem & æquali jure contineri cives, singulosque totam constituere civitatem, secundum illud Themistoclis: Patriam municipes esse, non moenia, civitatem non in ædificiis sed in civibus positam; neque dubium movet illud: omnium civium partem

partem sibi vindicare patriam. Multis enim instructum opibus ingens curarum circumstat caterva, quà stipatus aggreditur negotia sua, & propria dum tractat sedulo conamine publicæ etiam inservit utilitati. Iniquum ergo foret, si magnis & nullius momenti meritis paria honoris præmia distribuerentur. Accedit & illud; quod opulentis plus sit positum in conservanda Reipubl. incolumentate, quam parum habentibus: Hac enim pessundatà, majus non solum cæteris sentiunt damnum, sed & ipsis cum omnibus est pereundum. Majori itaque feruntur studio in Rempublicam, ex cuius salubritate ipsorum simul pendet, ac illi, quibus patria est, ubicunque bene est. Hinc supra laudatus Zevecotius cap. 43. verum ego, inquit, sæpe admirari soleo multis in locis ditissimos quoque ab oneribus excusari, pauperibus vero omnia incumbere. Certe si geometricum æquale spectandum, quod beatuli illi semper urgent, manifesta est iniquitas; honore enim præcedere debent, non immunitate. Quod apud Venetos tam curiosè, addit, observatur, ut subinde Primores Reipublicæ tributis seonerent, quibus eximunt plebem.

## §. XIV.

Clarius hæc omnia conspicimus in Republ. nostra Romano-Germanica, in quà floret & Principum auctoritas & suffragiorum libertas. Omnes Germanici Imperii Status ac Ordines, qui sub uno continentur capite, Imperatore Augustissimo, non absolutum, sed justis limitibus circumscriptum agnoscent imperium, ut videre est ex Constitutionibus Imperii solennibus, putà, Aurea Balla; Imperatorum Capitulationibus; Recessibus Imperii; Constitutionibus Pacis Profanæ ac religiose; Instrumento Pacis Osnabrugeo-Monaster. aliisque actis publicis; simul enim ad clavum Reipubl. sedent & suffragiis suis decisivis res decidendas expedientes salvam præstant Rempubl. jura que Majestatica ad Comitia imperii universalia spectantia in effectum deducunt. Vid. *Dissertat. citat. Reisseisenii de suffragiis Statuum*

*Statuum §. XX.* Quo tempore vero & cuius intuitu illud obtinuerunt, docet Rhenanus lib. II. Primum sub veteribus Francis liberæ potestatis Dux fuit in Saxonia Henricus Ottonis Pater, qui postea Germanico regno præfuit, ceu diximus. Idque eam ob causam, ut Sclavinos arceret, diligentius autem custodiuntur, quæ propria sunt. Nec hoc jus cuiquam aliorum Præsidium concessum est. At sub Saxonibus libertatem naçti sunt non solum Provinciarum gubernatores sed & civitates ipsæ. Nam ut quæque plus bonorum, quæ ad regnum pertinebant, habuit, ita maturius & facilius ad libertatem pervenit. Qui mos ita inveterascere cœpit, præprimis cum libertas suffragandi essentiale status characterem involvat, ut expresse legibus cautum sit, qui in numerum statuum Imperii velit referri, atque jure dicendi sententiam in comitiis gaudere expectat, sibi de bonis immediate Imperio subiectis, dignitatis suæ conservationi suffecturis prospiciat, nec, antequam hæc acquisiverit, admitti debeat. Vid. Monzambano *de origine Imp. Germ. C. I. §. 7. & in Not. adh. §. lit. b. & §. 8. lit. g. h. C. II. fusijs de membris Imp. Germ. addit. Not.*

## §. XV.

Hoc adeo verum est, ut etiam ipse Imperator Carolus IV. ad notitiam manifestam totius quasi orbis provocet, quando in *Aur. Bull. cap. 7.* dicit: Generaliter longe latèque est publicum & quasi per totum orbem notoriè manifestum, Illustres Regem Bohemiarum, nec non Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgicum *Virtute Regni & Principatum suorum* in electione regis Romanorum in Cælarem promovendi cum cæteris Principibus Ecclesiasticis & secularibus suis Coelectoribus jus, vocem & locum habere & una cum ipsis censeri & esse veros & legitimos Sacri Imperii Principes Electores. Sic quoque illustribus Comiti Palatino Rheni & Duci Saxoniæ munus Provisorum S. Imperii, cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia Ecclesiastica præsentandi, recollegendi

Iigendi reditus & proventus & investiendi de feudis, juramenta  
fidelitatis vice & nomineS. Imperii recipiendi est oblatum ratione  
Principatus seu Comitatus Palatini privilegio. A. B. c. V. Ne-  
que alienum abhoc est privilegium de non appellando à Fer-  
dinando III. Comiti Palatino 1652. d. 17. Jul. ratione electora-  
tus Palatinatus inferioris, aliarumque ditionum concessum, quod  
exhibit Henr. Gunth. Thülemarius in *ostoviratu C. XVIII.* §.  
17. *Aus der Chur-Pfälzischen Hoff-Gerichts-Ordnung.*  
Pari ratione Electoralis dignitas & Palatinatus superior ita con-  
junguntur, ut linea Wilhelmina s. Bavaria in masculis deficiente  
nonsolum Palatinatus Superior ad linea Rudolphinam s. Palatinam  
superstitem redire, sed extinto Electoratu Octavo Palatinus quoq;  
pristinum suum inter Electores locum recuperare debeat. *Infr. P. ac.*  
*Westph. art. IV.* Quæ autem de Electoribus traduntur, ea etiam à Prin-  
cipibus reliquisve Imperii Ordinibus eodem jure gaudentibus aut  
quærentibus requiruntur; secundum ea, qua statuta sunt in Rec.  
Imp. de anno 1654. §. über dieses 197. ibi: Und dieses Bene-  
ficium Sessionis & voti auf Dero Erben und Successorn nicht  
extendirt werden soll/ sie haben sich dem vorher mit ohnmit-  
telbahren Fürsten-mäßigen Reichs-Gütern versehen/ und  
solle forthin ohne vorgehende reale Erfüllung aller nothwen-  
diger und bestimmter requisiten/ und insonderheit erstbemel-  
ter Begüterung und ohne der Churfürsten und Stände Vor-  
wissen und Consens keiner Session und Stimme im Fürsten-  
Rath zugelassen werden. His jungi posunt quæ habentur in Capit.  
*Ferdinandi IV. art. 45. Leopoldi. art. 44. Joseph. a. 43. Caroli VI. art. 1.*  
Proinde quoq; Lampadio suffragii potestas videtur territorio adeo  
annexa, ut nonnulli pro ratione ditionum votorum pluralitate  
emineant. Et quæstio orta est; an sit qualitas patrimonialis an  
potius dignitas persona? Quomodo autem ad hanc quæstionem  
sit respondendum, docet jam laudatus Magnific. D. Schwede-  
rus. *Introduct. in J. P. Part. Spec. Sect. II. c. I. §. 9.* Et quomo-  
do Seculares in eo ab Ecclesiasticis differant, neimpe quod di-

C

gnitas

gnitas Electoralis non sic cum personis ipsorum emoriatur, ut extinguitur cum personis Ecclesiasticorum, sed una cum Electoratu per successionem ad posterum transmittatur, Jdem cit. loc. cap. III §. 7.

§. XVI.

Insignia fortium virorum merita in Rempublicam magnificere omnibus gentibus est solempne; hinc non dubitandum, eos, quos celebrat Respubl. propter rerum gestarum magnitudinem, etiam adhibendos esse deliberationibus. Multis, inquit, Aristot. 4. Polit. 15. quidem praefectis opus est in societate civili. Et 4. Polit. 14. Tres sint partes omnium rerum publ., de quibus quid conducat bono legum scriptori videndum & quibus bene affectis Respubl. bene affecta sit, scilicet Magistratus, iudicia & praecipue Senatus, qui teneatur consultare de bello, de pace, de foederibus, de societatibus, de legibus & poenis. His enim ritè ordinatis, floret Respubl., florent artes, mercatura & negotiationes, florent artifacia & opificia, floret agricultura, viget floretque salus publica. Multum ergo Prærogativæ illis tribuendum, quorum fides in Societatem conspicua & in consiliis dandis dexteritas corruscat. Quem in finem ipse Imperator Justinianus cupidam legum juventutem ita adhortatur: Summa itaque ope & alaci studio has leges nostras accipite & vosmet ipos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima voveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari. Macedoniae Rex Philippus omnium civitatum legatos ad formandum rerum præsentium statum evocari Corinthum jubet, ibi pacis legem universæ Græciæ pro meritis singularum civitatum statuit, conciliumque omnium veluti unum Senatum ex omnibus legit, judices rectoresque civitati Thebanorum dedit. Alexander moribundus interrogatus, cui relinquere regnum, respondit: Ei qui esset optimus; Cyrus Sybarem ceptorum socium & comitem in omnibus rebus Persis non præposuisset, nisi omnia pro fide exerciti paratus fuisset; Nec ulla unquam exitit societas aut regnum, in quo non genere solum sed & meritis maximi florueret viri, quorum exemplorum series paginae non capiunt.

§. XVII.

Maxima etiam veteribus præcipue nobilitatis ex natalibus ortum trahentis fuit veneratio, quam & omnibus Seculis apud gentes ad nostra usque tempora observatam experimur. Quibus inde ex atavo nobili stemmate edi contigit, neque occasio meritorum perpetrandorum deficit, neque via ad publica negotia gerenda præcluditur; et si Virtus nobilitatem à parentibus profectam illustrat, optima quæque ex hac indole Respubl. sperranda habet. Clari è Sidonibus juvenes Hephaestioni hospites & maësti virtute negaverunt, quemquam patro more in id fastigiam recipi videlicet regium, nisi regia stirpe ortum; apud Medos paternâ maternave nobilitate conspicui regum arcanorum participes atque ministri erant; apud Persas septem optimates & regni Principes de rege eligendo suffragia ferebant. E nobilitate reges sumere germanos, dicit Tacitus. Et qui ex Principibus se Ducem fore dixit, illum sequuntur, qui & hominem & causam probant & ab multitudine collaudantur; apud Gallos ex Druidibus unus, qui excellit dignitate, ut præsit, aut si plures sunt pares, suffragio Druidum adlegitur; ex equitibusii plurimos circum se ambaeos clientesque habent, qui genere & copiis sunt amplissimi. Jul. Cæsar. Lib. VI. de Bell. Gall.

## §. XVIII.

Qui hodie Hispanis, Gallis, Anglis, Danis, Suecis, Polonis, Germanis aliisque populis proprii sunt conventus, ad hos maxima ex parte non nisi principali dignitate pollentes & nobiles ordines confluere consuetum est. Notandum vero est, sicut varius est status, ita & non ubique ejusdem auctoritatis sunt comitia. In regnis liberis vel dicis tantum gratia convocantur ordines, vel ut sint loco consiliis; longè autem alia ratio est in Imperio Romano-Germanico, ubi negotia peragenda comitali liberove omnium Imperii Statuum suffragio & consensu decernuntur. Quibus in comitiis non alii admittuntur, nisi principali gloria pollentes aut huic proximi, & quibus merita sunt erga imperium tanti honoris digna, secundum Rec. Imp. de anno 1654. §. 197. Hinc tria in Comitiis tolemnia Electorum, Principum ac Civitatum immediatarum collegia orta, quæ acutate descripti, ortumque eorum explicavit sapientius laudatus Magnif. Dn. Schwed. Introd. in J. P. Part. Spec. Sect. I. cap. XXX. §. II. seqq. & Sect. II. c. II. §. 3. Cap. VII. & IX. fusius. Haud rejiciendum

dum esse hunc morem tradit Aristot. s. Pol. i. verissime juxta Contingium statuens; Aristocratiā perfecte optimam omnium, minime obnoxiam esse mutationibus, cuius rei cardo in hoc praeципie vertitur, quod virorum bonorum virtuti tanquam firmissimo nitatur fundamento, neque eos negligendos & à Magistratu capessendo excludendos esse; quippe, licet natura ipsorum virtuosa & generosa ab omni seditione plane abhorreat, ut nunquam id facere sustineat, meritis tamen jure eos interdum turbas ciere posse.

## §. XIX.

Quousque pertingat Regum, Procerum vel populi liberalitas & quantum possit, ex quolibet regnorum ac societatum statu constitutioneque discendum est. Hoc in genere verum est, penes quos summa est potestas, penes illos etiam est ex libera & benefica voluntate civibus distribuere praemia, illosque honorum ac dignitatum gradibus condecorare nec non ad concilia convocare. Quæ enim requisita honori oblato congrua desunt, voluntate summae potestatis vel remissa vel completa censemur. Hujus autem liberalitatis causa sunt variae, ut sanguinis conjunctio, affinitas, vita consuetudo, quandoque adulatio, rationesque aliae, quibus vel utilitas, vel autoritas, vel potentia stabilitas aut major fides conciliatur. Tandem hoc naturale est, quod quisque ampliare fortunam & dignitatem cupiat, & quod quis majoribus est instructus facultibus, eò alacriori conamine illud efficeri tentat; & postquam omnia venalia esse cœperunt, quid mirum, quod vix ullus etiam hodie multis in locis bonus muneribus obeundis par esse credatur, quem larga manus & dixit non commendant. Quemadmodum enim priscis temporibus in Germania ejusmodi status vigebat, quo Ducum Comitumque potestas temporalis & ministra erat, partim vi, partim emtione, partim profusa regum liberalitate mutata ita, ut jam Duces provinciæ præsint, non ut gubernatores, sed pænè ut reges, collatis in eos iis juribus, quæ solius olim imperii erant atque Imperatoriis: ita & eodem modo suffragandi jure potiti sunt. Fridericus IV. alias VI. ex vetusta Comitum Hohenzollerensium prognatus familia Electoratum Marchiam sc. Brandenburgensem cum annexa electoralī dignitate ac munere à Sigismundo Imperatore simulque Electore Brandenburgico quatercentis aureorum millibus sub lege retrovendendi, si filius Imperatori naſceretur, accepit. Quod fuiſsi declarat, exempliſive probat rebus Germanicis studiosissimus & celeberrimus Contingius Exercit. de Ducibus & Comitibus. Thülemarius in O. Eloviratu Cap. VI. §. 18. Magnificus D. Schwederus Introd. 7. Part. Spec. Sect. II. c. IV. V. segg. Et his finem huic exercitio impono; additis petitis: Quæ minus compre ac congrue ſcripta imbecillitati ingenii B. L. det, quæ planè deficiunt largo suo judicio ſuppletar, me meaque ſtudia ſibi commenda data habeat.

SOLI DEO vero GLORIA.

95. Schwäbische Prälaten.  
97. Rheinische und Fränkische  
Prälaten.

t  
h  
e  
r  
I  
c  
I

Schema Sessionum & Suffragiorum in Comitiis Imperii universalibus  
ad §. IV. pertinens, additis quibusdam regulis. Secundum transactionem d. 19. Sept. 1718.

In Collegio Electorali.

ad latus dextrum

sedent

ad sinistrum

Chur-Braunschweig. Chur-Braunschweig. Chur-Bayern. Chur-Böhmen. Chur-Mähn. Chur-Trier. Chur-Cöln. Chur-Sachsen. Chur-Pfälz.  
7. 5. 4. 1. 2. 3. 6. 8.

In Collegio Principum.

confident

in Scamno Seculari.

in Scamno Ecclesiastico.

5. 3. 1.

Salzburg. Burgund. Österreich.

Marescallus hereditarius de

Pappenheim semper inter duo

Secundum. 2. 3. 6. 8.

Gevrern. Magdeburg. Pfälz-Lautern. Pfälz-Sintern.

Hi tres alternant secundum reg. I. Legatus Austriacus 12. Martii 1717. Marescallus propriam occupat sellam, vota alterando colligens secundum numeros appositos.

7. Bisanz.

9. Deutschmeister. { hi compe-

11. Bamberg. { tunt.

13. Würzburg. { alternant.

15. Worms. { alternant.

17. Nürnberg. Scamnum transver-

19. Speyer. sum.

21. Straßburg. 45. Osnabrug.

23. Constanz. si Episcopus est E-

25. Augsburg. vangelicus.

27. Hildesheim. 49. Lübeck.

29. Paderborn.

31. Freisingen.

33. Regensburg.

35. Passau.

37. Orient.

39. Brixen.

41. Basel.

43. Lüttig. alternat cum Monasteriensi.

45. Osnabrug. Si Episcopus est ca-

tholicus sedet sem-

47. Münster. per inter hos, si non,

51. Chur. in Scamno transver-

53. Fulda. so.

55. Kempten.

57. Ellwangen.

59. Johamiter-OrdensGroß-

Prior in Germania competit cum o-

nibus Antecedentibus ad Freisin-

genensem usque.

61. Murbach u. Lüders. sunt uni-

63. Herzogsadelen.

65. Weissenburg.

67. Prunn.

69. Stablo.

71. Corvey.

Quare post hos Principes Seculares suffragantur, vid. reg. 8.

Mensa Directorialis.

Reg. I.

Huic mensæ assident Austriacus & Salisburgensis, ceu Directores una cum adjunctis & Secretariis Protocolla conscientibus & ratione directorii & praecedentia, alternant, ita ut primo die Austriacus, altero Salisburgensis primari obtineat sedem, Burgundicus vero nunquam nequidem præ Austriaco primas tenet.

II.

Nullus licet Secularis Princeps ad Scamnum Ecclesiasticum pertinet; attamen Austriacus & Burgundicus sedem ibi sumerunt, quia ipsi in Scamno Seculari sedentes antiqui Principes cedere noluerunt.

III.

Regulariter omnes ab uno descendentes stipite votis gaudentes Principes se invicem in consesso sequuntur; excepto Bremensi, qui, cum vi Instr. P. W. art. X. §. 9. in scamno seculari sedem 5. occupare deberet, sessionem intra Palatinos accepit. Idem quandoque obseruator à Verdeni, quia immedie Osnabrugensem licet contradicentem sequitur.

IV.

Scamnum transversum per Pacem Westphalicam introductum est. Art. V. §. 12.

V.

Alternantes formant ipsi Schema, quod in Consesso quotidie observatur.

VI.

Sicut duo Praelatorum vota tantum sunt curiata; ita quoque quatuor illa Comitum, VII.

Si in persona Princeps in Comitiis comparat in scamno seculari præ Legatis sedem sibi vindicat, sed in scamno Ecclesiastico, Austriacus, Salisburgensis & Burgundicus nulli cedit Principi.

VIII.

Evocatis Ecclesiasticis suffragium virile habentibus, omnium reliquo suffragio Principum, posthabitis Praelatorum votis, ideo colliguntur, quia illi votis virilibus gaudent; hi vero non solum curiati suffragantur, sed & dignitate sunt inferiores.

95. Schwäbische Prälaten.  
97. Rheinische und Fränkische Prälaten.

De Collegio Civitatum Imper. immediatuarum vid. Magnif. D. Schwed. Intr. in J. P. P. Sp. Se. I. c. xxx. §. 15.

10. Pfälz-Neuburg.

12. Bremen.

14. Pfälz-Zweybrücken.

16. = = Lautercken.

18. Sachsen-Altenburg.

20. = = Coburg.

22. = = Weymar.

24. = = Gotha.

26. = = Eisenach.

28. Brandenburg-Culmbach.

30. = = Anspach.

32. Braunschweig-Wolfenbüttel.

34. = = Zell.

36. Grubenhagen. \* Hodicinus Rex magnæ Britanniae

38. = = Calenberg.

40. Halberstadt.

42. Mecklenburg-Schwerin.

Rudolpho 1715.17.ap.

44. = = Güstrow.

46. Verden.

48. Würtemberg.

50. Baaden-Durlach.

52. Baaden-Baaden.

54. = = Hochberg.

56. Vor-Pomern.

58. Hinter-Pomern.

60. Hessen-Cassel.

62. = = Darmstadt.

64. Sachsen-Lauenburg.

Hoc votū

66. Minden.

68. Holstein-Glückstadt.

70. = = Gottorp.

72. Savoyen.

73. Leuchtenberg jezo.

74. Anhalt. (Beyern)

75. Henneberg.

76. Schwerin.

77. Cammin.

78. Ratzburg.

79. Hirschfeld.

80. Mömpelgardt.

81. Nomeny-Lottringen.

82. Aurenberg.

83. Hohenzollern.

84. Eggenberg.

85. Lobbkowitz.

86. Salm.

87. Dietrichstein.

88. Nassau-Adamar u. Siegen.

89. = = Dillenburg und Diez.

90. Auersberg.

91. Ost-Friesland.

92. Fürstenberg.

93. Schwarzenberg.

94. Lichtenstein.

95. Schwäbische Graffen.


96. Westerwische Graffen.

97. Fränkische Graffen.


98. Westphalische Graffen.

99. 100. Westphalische Graffen.









**ULB Halle**  
003 948 390

3



5b.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

21

Pub. L. 30. 66  
Pub. 8. num. 8.

1724 4  
11

25

A. Q.

DISSERTATIO JURIDICA  
*De*

# ORIGINE JURIS SUFFRAGIORUM

*Quam*  
P R A E S I D E  
V I R O

M A G N I F I C O , E X C E L L E N T I S S I M O , A M P L I S S I M O  
*atq; CONSULTISSIMO*

D O M I N O

G A B R I E L E S C H W E D E R O ,  
U. J. D.

Sacr. Cæsar. Palatii Comite,

Serenissimi Ducis Würtemberg. Consiliario, atque Primario ex  
J Ctorum ordine in Supremo appellationum Tribunali  
Assessore, Juris Publ. ac Feudalis Professore

*Domino atque Preceptore suo omni, quæ par est veneratione  
etatem colendo*

indultu facultatis Juridicæ eruditorum  
disquisitioni submittit  
Aut. & Resp.

B. HORNIG, Hirschberga - Silesius.

D. Mens. August. MDCCXXIV.

T U B I N G A E  
Typis Jo. Cunradi Reiū Vidua.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

